

Hunc librum Muis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann



DISSERTATIO THEOLOGICA  
*De*  
OMNIPRÆSENTIA  
NATURÆ HUMANÆ  
JESU CHRISTI,

*Quam*  
præsentissimâ ejus gratiâ

*Et*  
*Indultu summè Reverendæ Facultatis Theologicæ*

SUB PRÆSIDIO

Viri Maximè Reverendi, Amplissimi atqve  
Excellentissimi

DN. D. VAL. ALBERTI, P.P.

Consistorii Electoralis & Ducalis, nec non  
Facultatis Theologicæ Assessoris gravissimi, Academiae  
Decemviri, Alumnorum Electoralium Ephori, Colle-  
gii B. Mariæ Virginis Collegiati, & Polonicæ  
Nationis Senioris,

*Domini Patroni, ac studiorum suorum Promotoris omni*  
*observantiâ & cultu devenerandi,*

In Auditorio Theologorum Paulino  
publicè ventilandam proponit

*Autor & Respondens*

JOHANNES LEOPOLD, Amstelodamo-Bat.

Anno M DC XCI. d. 2. Maji.

---

LIPSIÆ, Literis JOHANN. GEORG.



DISSELTATIO THEOLOGICA  
DE  
OMNIPRESSENTIA  
NATURAE HUMANAЕ  
JESU CHRISTI

Gratia  
praesentibus eius gratia

Indulgentia Reverendae Facultatis Theologicae  
Vniuersitatis Lipsiae  
Vni Maxime Reverendi Amplissimi ac  
Excellentissimi

DN. D. VAL. ALBERTI, P.P.

Consistorii Electoralis & Ducalis, nec non  
Facultatis Theologicae Altorfensi gratissimi, Academiae  
Decemviri, Alumnorum Electoralium Lipsiae, Colle-  
gii B. Mariae Virginis Collegii, & Polonicae  
Nationis senioris

Domini P. Alberti ac Facultatis Lipsiae Promotoris eius  
in Auditorio Theologico Paulino  
publice vendendam proponit

JOHANNES LEOPOLD, Ammelobanno-Bac.

Anno MDCXCI. d. 2. Maii.

LIPSIÆ, Lipsiæ Johanni Georg.

M. Waether, De abusa distinctionis inter praesentiam  
et extimam, Wittenbergae 1692





Q. D. B. V.

PRO O E M I U M.



Venadmodum multis magnisq; calamitatum procellis quotidie exponuntur Christiani, pugnamque perpetuam & longe difficillimam depugnare necesse habent; ita firmis-  
simis pulcherrimisq; instructi sunt solatiis, quibus robur sibi addere, animumque adversus hostium minas obfirmare queant. Quæ multa licet saluberrima-  
que sint omnia, nullum tamen & jucundius & præstantius, & efficacius videtur esse, quam illud, quod Salvatorem, Deum & fratrem suum sibi præsentissimum esse non tam arbitrantur, quam verissime experiuntur. Norunt enim divinisq; oraculis edocti credunt, Filium Dei non modo humanam carnem ex Maria virgine assumptam retinere, sed etiam divinarum rerum ita reddidisse participem, ut hodie absq; illa neque præsens esse, neq; operari velit. Cogitemus verò, quam amplissimum, suavissimumq; ex hoc fonte ad nos perfluat solatium? Lerna malorum nos expectat. Luctandum est cum infirmitatibus carnis. Pugnandum adversus hostes atrocissimos, callidissimos, potentissimos. Diabolus insidiatur, mundus fallit. Nullum in nobis præsidium, nulla pugnandi virtus. Pereundum esset, nisi præsentem haberemus Deum; quid, Deum? imo Fratrem nostrum, qui eandem nobiscum carnem, eundemque spiritum gerit. Ille nos perire sinat, qui ne periremus, è cælo descendit nostramque

A 2

car-

carnem adaptavit sibi? Ille vicini nos patiatur, qui ne vince-  
remur, vinciri voluit? Non finit, non patitur, sed arma vi-  
resque suppeditat certantibus, ut laeti intrepidique in hostes  
irruamus, victoriamque ab iis reportemus. Ipse agmendu-  
cit, hortaturque; ut fortes simus, ducentisque moderamini  
atque auxilio confidamus. Quod si imperatoris praesentia  
tantum valet apud exercitum, ut quamvis ab illo praeter du-  
ctum directionemque nihil sibi promittere possit, fortius ta-  
men in hostem eat & vehementius instet:

Urget praesentia Turni;  
quanto melior est conditio militum, qui Jesu duce signa fe-  
runt in hostem & non solum de sapientissimo ductu ejus &  
moderamine certi esse possunt, sed vires etiam pugnandique  
facultatem ab eodem nanciscuntur.

Urget praesentia Christi,  
Non Dei solum, sed hominis etiam. Hominem enim nisi habe-  
remus, nec Deum nobis polliceri possemus propitium & au-  
xiliatorem. Quæ res, licet magnum amoris divini argumen-  
tum sit, afflictumque hominem egregie consolari possit; ni-  
hil tamen æque mentes piorum exhilarare potest, quam be-  
nignissima Salvatoris promissio, fore, ut carnem suam ede-  
rent, sanguinemque suum biberent, unumque adeo corpus  
cum ipso redderentur. O res admirabilis, o vox solatio ple-  
nissima! Nam tam arcta, tamque conjuncta est unio illa in-  
ter Christum & fidelem, quam inter vitem & palmitem; in-  
ter sponsum & nuptam; inter membrum & corpus. Palmes  
succum vigoremque mutuatur à vite; fidelis vitam salutemque  
habet à Servatore. Sponsus sponsæ nunquam obliviscitur,  
sed semper eandem fert in oculis atque animo; & Christus te-  
nerrime amat, tueturque solícite, quam sibi despondit ani-  
mam. Membrum scindi non potest, nisi quoque lædatur  
corpus; & Christum feriat, qui ægre facere velit fideli. Sa-  
tis illi virium defendendi suos, satis potentiae eludendi moli-  
tio-

tiones hostium. O quam dulcis est tot bonorum memoria!  
ô quam jucunda harum suavitatum recordatio! Certe cum  
hæc secum devote cogitat mens pia, non potest non effu-  
sissime gaudere de præsentia Salvatoris, animumq; à sollicitu-  
dine, metu atq; angoribus abductum, totum tranquillitati im-  
mergere. Magnum est solatium, quod Deus naturam no-  
stræ simillimam, puram tamen, assumserit, morteque cri-  
mina nostra expiarit; magnum solatium, quod carnem divi-  
næ majestati & gloriæ assertam dimittere nunquam velit  
aut abdicare; sed magnum & hoc est, quod eadem natura,  
qua nobiscum convenit, hodieque præsens sit creaturis o-  
mnibus & efficacissime ubivis terrarum operetur; Eadem  
se ipsam in cibum potumque pro amore in nos impensi-  
ssimo, salutisque nostræ certitudine, benignissime pro-  
ponat; Eadem denique nos sibi penitus inserat, ut à  
Salvatore nostro dependeamus, tanquam membra à capi-  
te, suavissimoque consortio, quod in cælo nos expectat, sen-  
sim assueciamus. Hoc nixi fundamento non commove-  
mur, si vel cælum ruat, vel ima terræ dehiscant, vel infe-  
rorum furor horrida quæque minetur. Si enim Christus pro  
nobis, quis contra nos? quis intentet crimina? quis condem-  
net? Ecce Deum, ecce fratrem nostrum, qui humanam car-  
nem sibi induit, ut hominum misereatur; qui præsens esse fi-  
delibus voluit, ut de benignissimo ejus auxilio nunquam sit  
dubitandum ipsis. Quid ergo nos separet ab eo? num afflictio?  
num angustia? num persecutio? num fames? num nuditas?  
num periculum? Verum hæc omnia superamus pro-  
pter eum, qui ut DEUS pariter atque homo adest nobis clementissime. Haud tamen desunt in hunc usque  
diem, qui dubiam reddentes præsentiam Θεου & πωτις  
nostri, clypeum istum nobis eripiant. Pugnandum  
ergo est & in arenam descendendum cum hostibus,  
ut retineamus, quod habemus, nec Palladium istud ex-  
torque-

torqueatur nobis. Verissime enim dictum: *Quando Christo juxta humanitatem majestas omnipresentia denegatur, Christianis ea ratione summa illa consolatio eripitur, quam è promissionibus de presentia & inhabitatione capitis, regis & summi Pontificis, haurire poterant. Is enim promisit, non modo nudam suam divinitatem ipsis præsto futuram (qua nobis miseris peccatoribus est, tanquam ignis consumens aridissimas stipulas) sed ille ipse, homo ille qui cum discipulis locutus est, qui omnis generis tribulationes in assumpta sua humana natura gustavit: qui ea de causa nobis (ut & hominibus & fratribus suis) condolere potest: se in omnibus angustiis nostris nobiscum futurum promisit: secundum eam etiam naturam, juxta quam ille frater noster est, & nos caro de carne ejus sumus.* Form. Concord. part. II. sive declarat. Art. 8. p. 786. Quæ rei momenta cum animo mecum considerarem, operam me oleumque perditurum nequaquam arbitratus fui, si de illa præsentia carnis Christi Dissertationem conscriberem. Id quod commode fieri posse existimavi, si amplissimam istam doctrinam duobus capitibus includerem, quorū I. Thesin, II. Antithesin proponat. Omnia tamen brevissime! Jeci aleã. Faxit Deus, feliciter!

## THESIS

### §. I.

**C**um inimici dogmatis de Omnipræsentia humanæ Christi naturæ, quo majorem illi invidiam concilient, nimis crasse illud atque insulse vulgo proponere solent, operæ pretium est, antequam ad ejus confirmationem accedamus, quænam genuina Ecclesiarum nostrarum sententia sit, ex libris nostris Symbolicis planum facere. *Cre-*  
*dimus itaq; docemus & profitemur, non, quod humanitas Chri-*  
*sti in omnia loca cœli & terræ localiter extensa sit, quod ne qui-*  
*dem divinitati tribui debet: Form. Concord. d. l. p. 787. Neque*  
*putamus, humanam in Christo naturam eo modo, quo divinitas,*  
*ut infinita aliqua essentia, & ex Virtute aut proprietate essentiali*  
*sua natura ubique esse præsentem, Ibid. p. 786. sed per unionem perso-*  
*na*

Thefis  
Nostra.



nalem, quæq; illa nititur, proprietatum communicationem Christum non tantum ut Deum, verum etiam ut Hominem presentem dominari & regnare, Ecclesiæq; suæ adesse, ibid. p. 768. 783. seqq. 876. Quæ quia satis perspicua & manifesta sunt omnia, ut à quolibet intelligi possint, non fuerit opus prolixiori illustrasse expositione. Conf. B. Chemnitius lib. de duabus in Christo naturis c. XXX. B. Hulsem. Calixt. Gewissensw. p. 45. seqq. aliq.

§. 2. Quod vero adversarii imprimis doctrinæ isti objectare consueverunt, nuper scilicet fuisse Ecclesiæ Christi obtrusam, cum pii veteres eam penitus ignoraverint, id nos, quod à pluribus jam fuit mendacii convictum, primo loco facile etiam diluemus. Quamquam nihil novi est, orthodoxorum sententias ab hæreticis infamari convicio novitatis, cum Aëtius quoque apud autorem dialogorum de Trinitate, qui inter Athanasii Opera Tom. II. leguntur, dialog: 2. orthodoxos χρονίτας sive temporarios appellet, quem tamen iste probe excipiens; (p. 193. edit. recentiss. τίνας ὀ λέγεις χρονίτας; inquit, τὲς ἀπὸ τῶν ἀγίων Ἀποστόλων μέχρι καὶ σήμερον αἰνῶντας πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα, ἢ τὲς ἀπὸ τοῦ τῶν τῶν χθρῆς καὶ σήμερον φανέντας καὶ ἄρεσιν ἔχοντας; Utros tu mihi Chronitas audes nominare? num eos, qui ab ipsis Apostolorum temporibus in hunc usq; diem celebrant Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, an illos potius, qui heri & nudius tertius te audire proruperunt hæresinq; sparserunt? Falli itaque Bellarminum, qui l. 3. de Christo c. 1. Nicolaum Fabrum (Jacobum puto voluit dicere Stapulensem) dogmatis de omnipræsentia humanæ Christi naturæ autorem esse arbitratur; Falli item alios, qui illud erudite antiquitati ignotum fuisse existimant; Testes sunt ex pluribus aliis ATHANASIUS, qui λόγον extra suū corpus esse posse negavit Oratione II. contra Arianos, & contra Apollinarem scribens, stolidos pronunciavit eos, qui carnis Christidimensionem contentur facere, & quantum & quo-

i. Dedu-  
ctio  
ejus ex  
Historia  
Ecclesiæ.



quomodo, contra scripturas definiant. **CYRILLUS ALEXAN-**  
**DRINUS**, qui l. X. *Comment. in Johann.* ad Ariani cuiusdam ver-  
ba ipsam Reformatorum sententiam, Chemnitio iudice,  
reddentia respondet, nos Christianos non tantum fide charitateque  
sincera Christo spiritualiter conjungi sed quoad corpus etiam conjun-  
tionis rationem nobis cum carne Christi, veluti palmitum cum vite  
membrorum cum corpore intercedere. Et Lib. XI. Christus suo cor-  
pore, inquit, per communionem mysticam credentes benedicens & se-  
cum & inter nos unum nos corpus efficit -- Dividi enim atque sejungi  
Christus non patitur, uni ergo Christo per corpus suum conjuncti in  
nobis illum, qui indivisibilis est, accipimus. Et haec est corporalis u-  
nio ad Christum, quae participatione carnis ejus acquiritur, cujus u-  
nionis vinculum est Christus, qui Deus simul & homo est. Adde  
plura hujus Cyrilli *περὶ τῆς ἡμῶν συναφείας τῆς κατὰ  
σάρκα πρὸς χριστὸν λόγος* testimonia apud Chemnitium c. 31.  
& Hülsemann. d. l. p. 171. seqq. **JOHANNES CHRYSOSTOMUS**,  
qui Homil. XVII. in Epist. ad Hebraeos: Ἐπειδὴ πολλαχῶς  
προσφέρεται, πολλοὶ χριστοί; μηδαμῶς. Ἀλλ' εἰς παν-  
ταχῶς ὁ χριστὸς καὶ ἐνταῦθα πλήρης ὢν καὶ ἐκεῖ πλήρης.  
Numquid quia in multis locis offertur, ideo multi Christi sunt?  
Nequaquam, sed unus ubique est Christus, & hic plenus existens & illic  
plenus, unum corpus. Et in secundo sermone ad Antiochen.  
postquam Heliam pallio suo Helisæ relicto nullum sibi am-  
plius retinuisse dixisset: ὁ δὲ χριστὸς, inquit, καὶ ἡμῶν τῶν  
σάρκα κατέλιπε, καὶ ἔχων αὐτὴν ἀπῆλθε. At Christus & no-  
bis carnem suam in terris reliquit, & carnem secum in caelum assumens  
ascendit. **DAMASCENUS**, qui l. 3. *περὶ ὀρθοδόξου πίστεως*. c. 2. huma-  
nam Christi naturam ἀδιαρέτως & ἀδιασάτως cum divina  
unitam esse scribit. **THEOPHYLACTUS** in cap. XIX. Johannis:  
Τὸ τοίνυν ἅγιον σῶμα τῶν χριστῶν ἀμέριστόν ἐστι τοῖς τέσ-  
σαρσι τῶν κόσμων μέρεσι μερίζομενον καὶ διαδιδόμενον  
κατα-

κατακερματιζόμεν. ὁ γὰρ ἐν τοῖς καθ' ἓνα καὶ τὴν ἑ-  
κάστῃ ψυχὴν ἀγιάζων μετὰ τῆς σώματ' ὁμογενῆς δια-  
τῆς ἰδίας σαρκὸς ὀλοκλήρως καὶ ἀμερίσως ἐν ὅλοις ἐστίν,  
ὑπάρχων πανταχῶς, ἔδαμῶς γὰρ μεμερίσαι, καθὰ καὶ ὁ  
παῦλ. ὁ βοᾷ, *Igitur sanctum Christi corpus indivisibile est, &  
dividitur & communicatur in quatuor partes orbis; distributus enim  
singulis & uniuscujusq; animam sanctificans cum corpore, per carnem  
suam, unigenitus & integer & indivisus in omnibus est, existens ubiq;  
nunquam enim divisus est, sicut & Paulus clamat, Videndus idem  
ad Eph. IV, 10. ad quem Apostoli' locum OECUMENIUS:*  
καὶ γὰρ καὶ γυμνῇ τῇ θεότητι πάλαιτὰ πάντα ἐπλή-  
ρωσ. καὶ σαρκωθεὶς ἵνα τὰ πάντα μετὰ σαρκὸς πλη-  
ρώσῃ, κατέβη καὶ ἀνέβη. *Etenim nuda quoq; divinitate omnia  
implebat. Et incarnatus ut omnia cum carne impleret, descendit  
& ascendit. Hactenus Græci.*

§. 3. Ex Latinis idem testantur *AMBROSIUS* l. 7. in  
Lucam: *Quando reverteris Domine nisi in die judicij? Nam licet  
ubiq; sis semper, & stans in medio nostrum non cernaris à nobis, erit  
tamen tempus, quo universa caro te aspiciet revertentem. Viden-  
dus & Commentarius, qui Ambrosio tribuitur in epistolam  
ad Hebræos, ad caput ejus epistolæ decimum. AUGUSTI-  
NUS, cujus plurima atq;ve luculenta extant de omnipræsen-  
tia humanæ Christi naturæ testimonia collecta à B. Reifero  
Augustin. Vindicat. p. 70. seqq. unde potiora quædam hîc adscri-  
bemus. Lib. 1. de peccati merito atq;ve remissione, c. 31. Si  
divina substantia longe distantior atq;ve incomparabili diversitate  
sublimior potuit pp. nos ita suscipere humanam substantiam, ut una  
fieret persona, atq; sic filius hominis, qui erat in terra, per carnis in-  
firmitatem idem ipse esset in cælo per participatam carni divinita-  
tem: quanto credibilius alii homines sancti & fideles ejus fiunt cum  
homine Christo unus Christus, & omnibus per hanc ejus gratiam socie-  
tatemq; ascendentibus, ipse unus ascendit in cælum Christus, qui de*

B

cælo

cælo descendit. Tractat. 27. in Johannem: Non dixit: erat, sed filius hominis, qui est in cælo. In terra loquebatur, & in cælo se esse dicebat, & cum ita dixit, quo pertinet, nisi ut intelligamus, unam personam esse Christum Deum & hominem, non duas; Et aliquibus interjectis: Sic erat filius hominis in cælo, quemadmodum filius Dei erat in terra: filius Dei in terra in suscepta carne, filius hominis in cælo in unitate personæ. Plura pluriumque Patrum, dicta in hanc sententiam colligi possent, nisi nihil facile ei, cui ista non sufficiunt, satis futurum esse videretur, Pontificiorum quoque Scriptorum suffragia magno numero collecta vide ap. B. Gerhardum l. 1. special. Confess. Cathol. p. 378. seqq. Hulsemann. im Gewissenswurm p. 193. seqq. E Calvinianis Crocius Sohniusque confitentis rei inducuntur à B. Meisnero in Examine Catechismi Palatini p. 719. & Becmannus à B. Scherzero p. 255. System.

§. 4. Videant ergo & agnoscant tandem adversarii, sententiam nostram antiquitatis testimonio minime destitutam esse. Quod licet omnino faciamus plurimi, de hoc tamen potissimum gloriamur, quod sacræ literæ, quæ solæ fons & principium sanæ doctrinæ sunt, nos edoceant, ita & non aliter de omnipræsencia Humanæ Christi Naturæ sentiendum esse. Atque id ut manifestum fiat, ejusmodi argumenta ex iisdem jam producemus, quæ probent, quod Christus secundum Humanam Naturam non modo possit, sed velit etiam omnipræsens esse.

II. Pro-  
batio e S.  
Scriptura

§. 5. Ex omnibus S. Scripturæ dictis, quibus doctrina de Persona Christi clare & perspicue continetur, unum è præcipuis est, quod Paulus ad Coloss. II, 9. consignavit, asserens, in Christo habitare πάν πληρωμα τῆς θεότητος & σωματικῶς. Quæ verba quam magnum in se momentum habeant, optime explicat Form. Conc. p. 778. docendo, quod Humana in Christo Natura majestatem divinam acceperit, secundum rationem hypostaticæ unionis, videlicet, quod cum tota divinitatis plenitudo in Christo habi-

habitet, non quemadmodum in sanctis hominibus & Angelis; sed cor-  
 poraliter, ut in proprio suo corpore, etiam omni sua majestate, virtute,  
 gloria, operatione, in assumpta Humana Natura, liberrime (quando &  
 quomodo Christo visum fuerit) luceat, & in ea, cum ea, & per eam di-  
 vinam suam virtutem, majestatem & efficaciam exerceat, operetur &  
 perficiat. Non ergo audiendus est Martinus cum suis, quan-  
 do fingit, totum λόγον sic esse in carne, ut etiam sit totus ex-  
 tra carnem, quod Nestorianum dogma quatuordecim argu-  
 mentis confutavit B. Menzer, in Anti-Martin. p. 251. seqq. Quod  
 si ergo πάντῳ πλήρωμα τῆς Θεότητος & in Humana Christi  
 natura habitat, non potest non hæc, ut reliquas divinitatis  
 proprietates, ita etiam omnipræsentia facultatem accepisse.  
 Atque hoc adeo verum est, ut ipse Salvator testatus fuerit,  
 Matth. 28, 18. Sibi (non quidem secundum Divinam Naturam,  
 cui accedere nihil poterat, ex quo redderetur melior,)  
 πᾶσαν ἐξουσίαν (δύναμιν reddit Apocal. 5, 12. quod contra  
 Calvinianorum aliorumque κρησφύγετον notari debet,) da-  
 tam esse in cælo atque in terra. Et qua fronte denegare  
 hanc potestatem illi queamus, quem confedisse novimus:  
 ἐν δεξιᾷ τῆς θρόνου τῆς μεγαλωσύνης ἐν τοῖς ἔθαιροις Ebr.  
 VIII, 1. Quæ sessio æque minus Humanam Christi naturam  
 cælo includit, quam nos Deum, cum oramus: Pater noster, qui  
 es in cælis. Damascenus lib. IV. O. F. ἐκ δεξιῶν δὲ τῆς Θεῆς καὶ  
 Πατρὸς κεισθιέναι φημὲν τὸν Χριστὸν σωματικῶς.  
 Οὐ τοπικὴν δὲ δεξιάν τῆς Πατρὸς λέγομεν. Πῶς γὰρ ἄ-  
 περιγραπτὸς τοπικὴν χοίη δεξιάν; δεξιάν δὲ τῆς Πατρὸς  
 λέγομεν τὴν δόξαν καὶ τιμὴν τῆς Θεότητος, ἐν ἣ ὁ τῆς Θεῆς  
 υἱὸς πρὸ αἰώνων ὑπάρχων ὡς Θεὸς καὶ τῷ Πατρὶ ὁμοῦσι  
 ἐπ' ἐσχάτων σαρκωθεὶς καὶ σωματικῶς κείσθεται, σινδο-  
 ξασθείσης τῆς σαρκὸς αὐτῆς. προσκυνεῖται γὰρ μιᾷ προσ-  
 κυνήσει μετὰ τῆς σαρκὸς αὐτῆς ὑπὸ πάσης τῆς κτίσεως.



*A dextris autem DEI Patris sedere dicimus Christum corporaliter. Verum non localem dexteram Patris dicimus. Quo pacto enim qui incircumscriptus est, localem habeat dextram? Dextram igitur Patris intelligimus gloriam & honorificentiam Deitatis, in qua Dei Filius ante secula existens ut Deus & Patri consubstantialis in novissimis temporibus incarnatus est & corporaliter sedet (i. e. imperat conf. Is. Vosii appendicem de LXX. Interpretibus p. 99) conglorificata carne ejus. Adoratur enim una adoratione cum sua carne ab omni creatura. adde Dannh. Hodof. Phenom. 8. pag. 769. Dorschei Pentadec. Diff. 12. Hutter. in Form. Conc. art. 8. p. 870. Feuerborn. Fascic. 4. Disp. 3. 4. 5. Scherzer. System. L. 8. §. 33. & c.*

§. 6. Imprimis autem pro astruenda omnipræsentia carnis Christi facere videtur aureum Apostoli dictum Eph. IV, 10. *Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cælos, ut omnia impleret.* Utpote in quo asseritur, Christum secundum Humanaturam omnibus creaturis præsentissime efficacissimeque dominari. Quod enim verba ista: *ut omnia impleret*, de humanitate Christi exponenda sint, ex eo constare arbitror, quia non secundum divinitatem, sed secundum humanitatem Christus ascendit. Et sicut ait B. Dannhavv. Hodof. Phæn. 8. p. 783. *de Deitate hoc dici, talis prodibit hinc abortus: Christus humana sua natura ascendit in cælos, hoc fine, ut Deitate omnia impleat: tanquam ascensione ideo opus habuisset, ut ea natura, qua jam ante ascensionem omnia impleisset, omnia impleret.* Implevit vero omnia non physica, expansiva, diffusiva aut alia monstrosa ratione, sed modo Θεανθρωπῶν conveniente, ita ut omnibus creaturis non absenter, sed omnipræsenter, non ignoranter, sed omnifapienter, non impotenter, sed omnipotenter dominetur, id quod Apostolus πληρῶσαι πάντα ἐν πᾶσι appellat Ephes. I, 23. Fallunt ergo qui verba ista de impletione vaticiniorum exponi debere existimant, ut quidem Massonius Part. 1. Anatom. p. 455. contendit, Nam quoties πληρῶσαι impletionem



onem vaticiniorum denotat, toties Prophetarum aut Scripturæ mentio adjicitur; nec etiam per ascensionem omnia vaticinia consummata sunt, restat enim adhuc complementum reditus ad iudicium. Fallunt, qui de sola donorum impletione intelligi cupiunt, quæ *Beza, Piscatoris, Martini, & Sadeelis*, nec non *Socinian. & Enjedini*, glossa est. Nam Apostolus non dicit: ut donis suis impleret Ecclesiam, sed indefinite τῶν πάντων facit mentionem. Accedit quod τὸ implere omnia, opponatur locis inferis & superis *versu antecedente* notatis; quomodo autem hæc ad donorum impletionem accommodari possunt? Fallunt denique, qui de absentis operatione interpretantur, quasi gratiam suam in nos effunderet per carnem à nobis absentem & longe remotissimam. Secundum enim phrasin Scripturarum τὸ implere omnia nullibi absentem alicujus dominationem significat, sed semper & ubique notat præsentissimam præsentis operationem, uti è *Jer. XXIII, 23. 24. & Sap. I. v. 7.* constare potest. Urget quidem Sadeel; *nullam esse consequentiam: omnia adimplet, Ergo est præsens corpore*; statuit enim verbum implendi de donis intelligi. Sed respondet B. Menzerus *in elencho errorum Sadeelis T. I. Opp. p. 1234.* si maxime concedatur ex hypothese, loqui Paulum de impletione donorum in Ecclesia, sic tamen concludi tum posse: Christus, quæ homo, est in Ecclesia præsens. Regerit Sadeel: corpus non esse majestatem, ideoque non sequi: ibi esse corpus, ubi est majestas. Responsio Menzeri hæc est, quod impletio illa, quam Sadeel dicit majestatem, non sit à corpore avulsa, sed cum eo conjuncta.

§. 7. Veritati sententiæ nostræ nihil derogare potest rationis interpellatio. Huic enim si morem gerere velimus, nihil non de mysteriis in Scriptura traditis negaremus. Frænum rationis esto, *Deus plura præstare potest, quam nos vel intelligere valeamus Eph. III. 20.* Quod si enim ille potest exuere naturam humanam modo existendi substantiali, eumq;

pensare alio, quod in mysterio incarnationis factum est; minori negotio modus existendi accidentalis cum alio accidentali ab eodem commutabitur. Physica impedimenta ex infinitate, immensitate, invisibilitate, illocabilitate, aliisque depromta & praesentiae Christi à Sadeele & sociis objecta, accurate explicat *B. Hæpfnerus P. 2. de Coena p. 347.* ubi 1) inter immensitatem & inter potentiam praesto essendi, distinguit: 2) conditiones verum corpus constituentes à proprietatibus separat: 3) proprietates intrinsecas ab extrinsecis (locabilitatem ab actuali localitate) praescindit: ex possibilitate transitus cameli per foramen acus, respectu divinae omnipotentiae *Matth. XIX. 24. 26. 4)* visionem actualē cum visibilitate nequam confundendam esse monet. De cætero attendenda vox *B. Chemnicii*, qua hoc in negotio utitur: *Intra metas divinae patefactionis, in verbo nobis tradita simpliciter, religiose, ac sollicitè se continere, omnium rectissimum iudico.*

§. 8. Quod autem Christus non tantum possit iuxta carnem omnipraesens esse, verum id etiam praestare velit, illud non modo ex promissionibus ejus constare debet, sed exemplis quoque eorum, quibus praesens fuisse in sacris traditur, manifestum fit. Dixit: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Matth. XVIII. 20.* Quod de novo inculcat post resurrectionem: *Ecce ego sum vobiscum omnibus diebus usq̄, ad consumationem seculi Matth. XXIX. 20.* Quibus verbis haud obscure indicat, se affore fidelibus suis non secundum divinam modo, quod Sadeel & reliqui volunt, nec secundum virtutem Spiritus Sancti tantum, quod Martinius fingit, verum & secundum humanam naturam. Nam 1) quid opus fuisset praesentiam divinitatis suae promittere, de qua certe non dubitare poterant discipuli? 2) τὸ Ego, in altero dicto expresse, in altero implicite positum, totam personam & totius personae utramque naturam denotare, tamdiu tenemus, donec ad restrictionem evidenti argumento compell-



pellamur. 3) ut preces sint acceptæ & validæ ( quod præ-  
stare se velle pollicetur in primo loco supra allegato ) Chri-  
stus utique secundum humanam quoque naturam efficit. 4)  
discipulis per totum orbem prædicantibus Euangelium adesse,  
sua item gratia & ope eosdem sustentare, & contra quos-  
vis hostes potenter defendere, ipsorumque prædicationi vir-  
tutem conferre, ut ad fidem Christi gentes convertantur; u-  
sque ad legationis hujus consummationem ( quod solatium,  
quo discipulos in mundum proficiscentes erigebat Salvator  
in altero dicto à nobis supra posito, continetur ) est ἀποτέ-  
λεσμα officii Christi secundum utramq; naturam ipsi com-  
petens. Denique 5) juxta eam quoque naturam adesse se  
promittit, juxta quam ipsi omnis potestas data erat v. 18.  
quæ sane non divina, sed humana erat natura. Ad quos pro-  
missiones istæ pertineant, explicet nobis Chrysostomus. Ita  
autem ille: *Non cum discipulis tantum se futurum esse dixit, sed  
& cum omnibus, qui post eos credituri essent: neq; enim Apostolusq;  
ad consummationem seculi victuri erant, sed tanquam uni corpori lo-  
quitur fidelibus.* Non est quod urgeant adversarii: Dicta hæc  
agere quidem de præsentia, sed gratiosâ, non universali,  
quæ tamen probari hoc loco debebat. Respondemus enim;  
quanquam in statu exinanitionis à præsentia carnis Chri-  
sti gratiosâ ad ejusdem omnipræsentiam non valuerit conse-  
quentia, nunc tamen in statu exaltationis hæc sequela fir-  
missima est, 1) *Quia* ( eloquar verbis B. Dannh. Hodof. Phæn.  
8. p. 794. ) *utraq; est divina & infinita majestatis.* 2) *quia, quando  
intra ambitum Ecclesie presentia gratiosa rite administrari debet, et-  
iam extra ejus ambitum adversus hostes, & in universas creaturas  
postulatur defensatrix & protectrix presentia adeoq; universalis.* 3)  
*quia semper specialis divina presentia generalem presupponit: ut e-  
nim presentia gloriosa includit gratiosam, & presentiam potentia, sic  
& gratiosa includit presentiam potentia, quemadmodum beate esse,  
includit bene esse, & bene esse includit esse.* Denique testimonium  
de

de promissione præsentia humanitatis Christi omnium maximum solatioque plenissimum est, quod Salvator carnem suam edendam bibendumque sanguinem in S. Cœna testamentaria certitudine pollicitus fuerit, & à quatuor viris omni exceptione majoribus *Matth. 26. 26. Marc. 14. 22. Luc. 22 19. & S. Paulo 1. Cor. XI. 23.* consignari curaverit, quæ testamenti verba sæpius quidem impugnata, expugnata tamen nunquam fuerunt. Tandem quod Salvator promiserat suis, fore ut ipsis præsto esset, illis gratiosa apparitione testatus est sæpissime. Idem enim Jesus, qui crucifixus & à Saulo afflictus fuerat, eidem Damascum proficiscenti visibili specie se præbuit videndum, *Act. 9. 4.* Idem à B. Stephano mortis candidato ad dextram Dei constitutus visus fuit, *Act. 7. 26.* Idem denique hominis filius Johanni inter septem Ecclesias ambulans apparuit, *Apoc. I. 13.* Hæc circa thesin sufficiant, sequitur nunc,

## ANTITHESIS.

### §. I.

**A**Tque hæc nostra sententia licet antiquissima non minus, quam verissima sit, suos tamen invenit osiores, quorum alii negarunt eam omnino, alii non adeò recte de eadem sentire videntur.

Antithe-  
sis  
1 Contra  
dicenti-  
um: extra  
Eclesiã  
nostram.

§. 2. Primo ordini inserimus Calvinianos; Atq; Pontificios ex quibus illi, cum semel sibi imperassent negare præsentia carnis Christi in cœna, non potuerunt non & reliquam doctrinæ suæ telam eadem macula inficere. Hi autem, etsi ante Lutherum eandem nobiscum sententiam amplecterentur *v. Defens. Pupill. A. C. 65. 80.* postmodum etiam non pauci ex iisdem à partibus nostris starent, de quibus *Hulsemann. in Calixtin. Gewissens = Wurm c. 3. p. 203. seqq.* factum tamen fuit in Ingolstadiensi disputatione anno superioris seculi 64. ut, quo melius visibile caput Ecclesiæ statuminarent, palam migrarent in castra Calvinianorum, asserentes defendentesque cum illis: Omnipræsentiam Humanæ Christi naturæ nequaquam esse communicatam.

§. 3.

§. 3. Quem errorem, ut carius venderent, variis ar-  
 gumentis undiqve conqvifitis commendare solent. Provo-  
 cant vero imprimis ad verba Petri de Salvatore loqvantis:  
 Ὅν δεῖ ἔρανόν μὲν δέξασθαι ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως  
 πάντων ὧν ἐλάλησεν ὁ Θεός. Act. 3, 21. Hæc ita reddit Beza:  
*Quem oportet quidem cœli capiant, h. e. receptum contineant, ut in*  
*majoribus annotationibus exposuit. Quod effatum, quid*  
*sibi velit, exponit Form. Conc, p, 759. Verba illa, inqvrens, (in actis*  
*apostolicis: oportet Christum cœlum accipere) de industria malitiose*  
*(ad confirmandum errorem suum) depravarunt: & loco sincera trans-*  
*lationis hæc verba reposuerunt: Oportet Christum cœlo CAPI: quæ*  
*verba significant, Christum ita in cœlum receptum, ut cœlo circum-*  
*scribatur & comprehendatur: ut nobiscum in terris, humana sua*  
*natura nullo prorsus modo, præsens esse possit aut velit. Cardo*  
*rei in eo vertitur, an τὸ δέξασθαι hunc habeat sensum:*  
*Christus receptus est à cœlis; an illum: Christus recepit*  
*cœlum? Posterius nos asserimus; prius Beza & qui cum*  
*ipso sentiunt, probareq; nititur ex Idiotismo Hebræorum, quo*  
*fieret, ut ex antecedente intelligatur consequens, sicut cum*  
*παραλαμβάνειν acciperetur pro acceptum transferre,*  
*ἐξελεῖν pro digressum aliquo venire, simulqve operose*  
*disputat: verbum δέχεσθαι eo differre à λαμβάνειν, quod*  
*illud de iis dicatur, quæ aliunde oblata quispiam accipiat;*  
*vocat præterea in subsidium Syriacam paraphrasin, quæ*  
*verbum δέξασθαι per ܠܪܦ exprimit. Tremellius vertit:*  
*Quem oportet cœlos excipere. Sed infirmo talo stant omnia.*  
*Nam præterqvam, quod non Beza modo, sed Calvinus*  
*qvoqve fateri cogantur, sensum esse ambiguum & difficilem,*  
*non opus est ad idiotismum, quem Beza complicesqve fin-*  
*gunt, confugere, cum absq; eo sensus dicti sit planissimus,*  
*dummodo pronomen ὅν non ad prædicatum genuinæ*  
C
propo

propositionis sed subjectum ejus referamus. Et quid opus est fingere *μετάθεσιν* atque particulam *ὅν* priori loco positam ponere posteriori, & vocem *ἄρανόν* priori, cum ponatur posteriori? Ita enim sponte fluit: *χριστός ἐδέξατο ἄρανόν*, quæ verba egregie reddidit Lutherus: *welcher muß den Himmel einnehmen*. Optimus vero interpres Paulus est *1. Cor. 15, 25*. *Oportet eum regnare &c.* Nam τὸ βασιλεύειν h. l. præsupponit τὸ δέχεσθαι, in textu nostro, activè sumptum, quòd receperit cælum. Esto autem, quod passivè aliquando verbum illud significet, de quo biblica exempla *Hakspan. congeffit in Miscell. l. 1, c. 9. p. 153.* & profana *Erasm. Schmid. in h. l. p. 796.* ideo tamen non hoc quoque loco ita accipi necesse est. Si enim hunc habere sensum voluisset Actuum scriptor, procul dubio præpositionum *ὑπὸ, παρά* similemve apposuisset, aut structuram verborum commodiorem usurpasset. Vanum præterea est, quod contendat, verbum *δέχεσθαι* in eo differre à *λαμβάνειν*, quod illud de iis dicatur, quæ aliunde oblata quispiam recipiat; contrarium svadent loca sacra *Luc. 19, 12. 15. Act. 2, 33. Apoc. 5, 12. cap. 11, 17.* & profana etiam apud *Plutarchum* aliosq; *v. Chemnit. P. 3. L. C. in epist. loco de Cæna Domini subj.* Nec juvat Syriaca versio, cum versio tantum sit, & nostram potius, quam ad versariorum sententiam illustret. Notat enim verbum *כִּבֵּן* talem susceptionem, qua cæli convenienter ac reverenter Christum exceperint, ut creaturæ creatorem suum, ac jam secundum humanam naturam omnium rerum dominum à patre constitutum *Psal. 8, v. 7. 8. 1. Cor. 15, 27.* Utrumq; textum conciliat Joh. Tarnovius: *Græcus, inqviens, textus authenticus indicat, quid Christus fecerit, videlicet quod in sui exaltatione secundum humanam naturam, & collocatione ad dextram patris occupavit cæleste regnum, & omnium rerum plenarium dominium; Syrus inter-*

inter

interpres è contrario ponit, quid cælum fecerit, & quomodo se gesserit, videlicet cum magna promptitudine Christum suum dominum excepit. Ibi notatur majestas & potentia Domini triumphantis, hic obsequium & reverentia creaturae obedientis. Viderunt procul dubio errorem Bezæ & cæterorum è suis Polanus & Aretius, quorum alter versionem Germanicam retinuit, alter in Comment. super hunc locum scribit: δεχεσθαι ἔρανόν, esse: plena potestate cælum occupare. Quibus ita positus manifestum est, quod Petrinum dictum, nullum plane momentum afferat errori adversariorum.

§. 4. Sed suffragium non leve pro sua sententia se invenisse arbitrantur cum legunt; ὅς (χριστός) ἐκάθισεν δεξιᾷ & θρόνῳ τῆς μεγαλωσύνης ἐν τοῖς ἔρανοῖς Ebr. 8. 1. Ita enim argumentantur: Quicumque sedet 1) ad dextram Dei, 2) super thronum 3) in cælo, ille non est præsens in terris. Christus ita sedet. E. Quod quidem verissimum foret, si dextra Dei finita esset, & thronus locus circumscriptus & talis Christi sessio, qualis Bathsebæ ad dextrâ Salomonis. Sed sacrarum literarum monumentis instituti scimus, quod dextra Dei nihil sit aliud, quam ipsa omnipotentiae ac majestatis divinæ gloria, Exod. 15. 6. ps. 77. 11. ps. 139. 10. Es. 48. 13. Thronus nihil aliud, quam splendor & beatitudo ineffabilis Es. 6. 1 Es. 66. 1 Dan. 7. 9. Matth 25. 31. Sessio nihil aliud, quam felicitatis illius majestatisque divinæ usurpatio, Eph. 1. 21. 22. c. 4. v. 10, 11. Licet vero humanitas sit localis, quod Crocius objicit, ipsa tamen nec dextram Dei localem facit, nec sessionem ad eam, quia dextra Dei non sedet ad humanitatem localem, sed humanitas localis sedet ad dextram Dei infinitam. Atque ex his illud tandem conficitur, quod quando Christus sedere dicitur ad dextram Dei, significetur, ipsum secundum humanam naturam (utpote quæ sola melior illustriorque reddi poterat) assumptum esse in consortium & societatem imperii divini, seu omnipotentis



tis & ubique præsentis gubernationis omnium creaturarum & ecclesiæ. Nec juvat malam causam, quicquid dicat *Vendelin l. i Theol. Christ. c. 16. p. 256.* quod in symbolo Apostolico dicitur, Christum *Inde* venturum esse judicare vivos ac mortuos, cum particula *inde* (quæ quidem apud nonnullos scriptores antiquos omittitur, & *Venantius Fortunatus* simpliciter habet: *judicaturus vivos & mortuos*, observante *B. Carpzov. Isagog. in Lib. Symb. p. 45.*) præsuppositâ universalis regiminis majestate adventus novissimi terminum à quo denotet, unde scilicet Christus aliquando specie, qua profectus erat, visibili rediturus sit, *Phil. 3. 20. 2. Theff. 2. 7.* ita tamen, ut thronum dextræ majestatis, quem occupavit, nunquam deserat. Dicitur enim: *judicaturus sedebit in sede gloriæ suæ Matth. 25. 31.*

§. 5. Scripsit Paulus, discrimen Christi et Leviticorum sacerdotum ostensurus: *Si Christus esset super terram nec esset sacerdos, quum essent qui offerrent secundum legem munera Hebr. 8. 4.* Hæc verba arripiunt hostes præsentia Christi & valde in eis gloriantur. *Hic locus, exclamat Pareus in ep. ad Hebr. si quisquam, præsentia corporali Christi in missa & in terra ante judicium adversatur. Ita enim hinc colligere est: Christus carne sua jam non est in terra, sed in cælo. Ergo corpore suo non delitescit sub speciebus panis in altari. Consequentia patet, à negatione totius ad negationem unius partis, sicut valet, Rex Gallia non est in Palatinatu, E. nec Heidelbergæ. Antecedens est Apostoli, quod confirmat ab absurdo: Si esset in terra, ne sacerdos quidem esset, nedum pontifex. At est sacerdos. Non igitur in terra terrenus, sed in cælo cælestis est pontifex. Respondemus: Nemo nostrum dixit: Corpus Christi delitescere sub speciebus panis in altari. Lemures sibi fingit. Aut si quos habet Adversarios, illi sunt in Papatu. Utinam vero sensum non depravaret! Duo enim significare potest 70 esse in terra. 1.) constitutum esse in terrena conditione 2.) esse in 78 terrestri. Posterius suum facit Pareus, quod quam incom-*

commode & nefarie fiat, ex eo patet, quia hoc pacto falsa erunt ea omnia, quæ de officio Christi sacerdotali magna ex parte jam in terra peracto passim in Scriptura traduntur; falsum, quod Christus semetipsum in ara crucis obtulerit ut victimam; falsum quoque, quod in diebus carnis suæ pro nobis intercesserit. At priorem sensum hic habere locum, planum evadit ex instituto Pauli totiusque epistolæ serie, utpote in qua nihil aliud agit, quam ut sacerdotium Christi conferens cum sacerdotio Levitico, ostendat, Christum non gessisse terrenum sacerdotium & umbraticum, quale erat V. T. sacerdotum, sed aliud longe & præstantius. Apprime huc quadrant verba Theophylacti: *Jam, ait, cum Christus super terram non sit, sed cælum habeat sacerdotio suo locum, excellentius asssecutus est ministerium, h. e. non est ei ministerium tale, quale est pontificum super terram, sed cælestis, tanquam locum habens proprii sacrificii cælum.* Quæ si vera non sunt, videat Pareus, quomodo Calvinum, quomodo Zvinglium, quomodo plures alios è suis excuset, qui omnes τὸ ἐπὶ τῆς γῆς, de eo, quod terrenum & visibile est, interpretati fuerunt. V. B. Menzer. Def. Pruten. c. 7. Gratis excipit Pareus, terram hic locum primò, statum terrenum secundario significare, quia terreni sacerdotes dicti fuerint, eò quod in terra non in cælo sacerdotio fuerint functi; Christus contra non terrenus sed cælestis appelletur, cum non in cælo, sed in terra sit λειτεργός: Nam hic non de nudo vocabulo, sed de integra phrasi: *in terra esse*, inter nos disceptatur; quæ quomodo explicari debeat, antea dictum est.

§. 6. Novum argumentum deprimunt è Phil. 3, v. ult. Quod Christus humile corpus nostrum conformaturus sit corpori suo glorificato. ὅς μετασχηματίσει τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸ σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτῆς, cum tamen nemo Lutheranorum affirmare

mare aufit, corpora nostra glorificata ubique fore præsen-  
tia, quod propter similitudinem, quæ τύπω cum ἐκτύπω  
intercedit, fieri necesse esset, si quidem corpori Christi glo-  
rificato competeret omnipræsentia gloria. Nos vero re-  
spondemus verbis *Theodoret*, corpora nostra σύμμορφα  
fore glorioso corpori Christi κατὰ τὸ ποῖον, non κατὰ τὸ  
πόσον, habitura esse rem gloriæ, non gloriam rei. Corpori  
enim Christi gloria competit non solum ordine naturæ, sed  
etiam vi unionis hypostaticæ. Hæc præstat, ut omnia, quæ  
divinitatis sunt, facta fuerint humanitatis, nempe omnipo-  
tentia, omniscientia, omnipræsentia &c. servato tamen ha-  
bendi ordine. Ille verò, ut corpus Christi post hanc vitam,  
si vel maxime non fuerit in hypostasim divinam assumtum,  
illustre tamen foret & spiritualis donis indutum, quæle Ada-  
mi fuisset hominumq; reliquorum omnium, si vitâ sanctè  
& absque ullo peccato transactâ, in cælum à Deo recepti ef-  
sent. Atque ex hoc patet, quod cum dicimur γενέσθαι  
σύμμορφοι τῷ σώματι τῆς δόξης χριστοῦ, illud non de ea  
gloria intelligi debeat, quam habet corpus Christi ex unione  
cum divina natura, neque enim hanc merito suo acquisivit;  
Sed de ea, quam habet ordine naturæ, nobisque, qui peccato  
ordinem illum turbavimus, morte & passione sua denuo  
comparavit. Hæc vero ab illa infinitis modis transcenditur.  
Ratio effati patet, quia illam gloriam neque naturâ neque  
gratiâ habemus. Non gratiâ; quia per hanc non perveni-  
mus in unionem hypostaticam, qualis est inter humanam  
Christi naturam & ejus Deitatem. Non naturâ; quia ne-  
mo mortalium est instar DEI. Hanc verò gloriam, quæ  
olim nobis fuisset naturalis, gratiâ redemptoriâ recuperavi-  
mus. Deinde etiam parata est responsio ad argumentum  
ex eo, quod τὸ σῶμα δόξης χριστοῦ respiciat σῶμα τῆς τα-  
πεινώσεως.



πεινώσεως ἡμῶν, & σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, σῶμα  
τῆς δόξης ἡμῶν ἢ χριστοῦ. Indeq; ita arguimus: Qualis est συμ-  
μορφία inter σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν & σῶμα τῆς  
ταπεινώσεως χριστοῦ, talis συμμορφία erit inter σῶμα  
τῆς δόξης ἡμῶν & σῶμα τῆς δόξης χριστοῦ. Veritas niti-  
tur legibus proportionis. Sed συμμορφία inter σῶμα τῆς  
ταπεινώσεως ἡμῶν & σῶμα ταπεινώσεως χριστοῦ non est  
omnimoda. E. Minorem propositionem probam, conferen-  
do corpus nostrum cum corpore Christi. Christi corpus cum  
esset in his terris, variis calamitatibus erat expositum, imo  
mortis Satanæq; furorem sentiebat; & nobis etiam, quousque  
hic vivim, cum multis ærumnis, morte & diabolo luctandū  
est. Sed in eo non convenimus, quod Christus divinæ majesta-  
tis exercitio, quam à primo incarnationis momento posside-  
bat, se evacuarit serviq; formam & abjectissimi hominis induerit;  
neq; enim id unquam fecimus, aut facere potuimus. Di-  
cendum ergo (ut breves simus) quod, quemadmodum σῶμα  
ταπεινώσεως ἡμῶν τῷ σώματι ταπεινώσεως χριστοῦ suo  
modo fuit simile quoad afflictiones &c. ita σῶμα τῆς δόξης  
ἡμῶν simile erit σώματι τῆς δόξης χριστοῦ, quoad splendorē &  
gaudiū. Loquimur vero de re, non de modo rem habendi. Hu-  
mana enim Christi natura unita divinæ uti nulla re indiguit,  
ita neque quicquam meruit sibi. Porro autem, quemadmo-  
dum σῶμα ταπεινώσεως ἡμῶν non evacuavit se exercitio  
majestatis divinæ, uti σῶμα ταπεινώσεως χριστοῦ, quia nun-  
quam habuit majestatem divinam; ita etiam σῶμα ταπει-  
νώσεως ἡμῶν non perveniet ad usurpationem majestatis di-  
vinæ & omnipræsentiae, perveniet autem σῶμα ταπεινώ-  
σεως χριστοῦ. Atque in hoc corpus glorificatum beatorum  
dif.

differet à corpore glorificato Christi. Ratio igitur in aprico est, quod *συμμορφία* corporis *Φιλανθρώπου* cum corpore *Θεανθρώπου* non inferat negationem omnipræsentiae corporis *Θεανθρώπου*. *conf. Chemnit. de duab. naturis in Christo c. 30. p. 187.*

§. 7. Denique quia vident adversarii, obtusa esse omnia tela, quæ in nos magno impetu conjiciunt, audent proprio gladio nos jugulare. Atque id præstare se posse existimant, si convincant nos: Oppido inconvenientem absurdamque esse sententiam nostram, adeo quidem, ut stante ea, omnem reliquam de Christo doctrinam corruere necesse sit. Certe *Bellarmin. l. 3. de Incarn. c. 12. T. 1. Opp. p. 107.* scribere haud veretur: *Pugnare ubiuitatem cum articulis symboli de Christi conceptione, nativitate, morte, sepultura, descensu ad inferos, resurrectione, ascensione & descensu ad iudicium.* Nec alius farinae sunt illa, quæ nobis objicit *Zachar: Ursinus P. 2. Doctrina Christian. append. 2. p. 615.* Sed & huic objectioni parata est responsio. Ut distincte progrediamur 1) notamus, quod articuli, qui veniunt hic in controversiam, partim ad statum exinanitionis Christi, partim ad statum exaltationis referantur. 2.) Præsupponimus, omnipræsentiam carnis Christi initium sumfisse ab exaltatione ad dextram DEI, quæ ascensum in cælos est secuta. 3.) Distinguiamus inter rem habitam, & rei habitæ exercitium, inter præsentiam visibilem & invisibilem. Dicimus ergo α) omnipræsentiam, quia ad statum exaltationis pertinet, conceptionem, nativitatem &c. haud evertere, & quanquam habuerit eam à primo conceptionis puncto, exercere tamen non voluisse. β) Post exaltationem ad dextram DEI, esse quidem omnipræsentem, sed invisibili ratione, reditum autem ejus de visibili adessendi modo exponendum esse. Si *objicias*, causam communicatæ omnipræsentiae esse unionem personalem, ideoque commu-

Tübingen

nica-

nicationem idiomatum æque ac unionem naturarum esse,  
 perpetuam; concedimus hoc quidem illi, sed distinguimus  
 simul 1) *inter causam physica necessitate agentem, & liberrima*  
*voluntate utentem. ὁ λόγος* per unionem hypostaticam sua car-  
 ni se totum (sine mutatione) communicavit, non ut causa physica  
 necessitate agens, sed ut causa voluntaria & liberrima. 2.) In-  
 ter idiomatum divinorum communicationem & inter communica-  
 torum totalem & universalem usurpationem. Illa non potuit  
 non unionem naturarum statim consequi; hæc vero vo-  
 luntarie suspendi. Et quidni potuisset in statu exinanitionis?  
 cum in statu exaltationis non præstet ita, ut homo, miracula, uti  
 in terris visibiliter obambulans olim ea præstitit. Ita B. Feuerbor-  
 nius Fascic. I. pag. 245. 246. 247. Vide Maximè Reverend. Dn. Præsi-  
 dem in Aug. Conf. cap. 6. th. 2. Dub. 3. pag. 192. & B. Hutter. in F. C.  
 art. 8. p. 860. seqq.

§. 8. Atque hæc sunt potissima argumenta, quibus  
 tanquam fulcris sententiam suam superstruunt Hostes omni-  
 præsentiae Salvatoris. Qui cum non inveniant quo fucō sua  
 defendant commendentque mendacia, utuntur eloquentia  
 Archilochi dicteriisque atque calumniis veritatem aggredi-  
 untur. Hinc passim videas nos ab iis Eutychianismi & Ne-  
 storianismi reos agi. Impudentissime, ut sæpius, Bellarmi-  
 nus scribit l. 3. de Christo c. 1. col. 452. *Lutherani duo docent, ex*  
*quibus sequitur, eos esse vel Eutychianos vel Nestorianos, vel mon-*  
*strum ex utraque heresi compositum: primo dicunt: Christi carnem*  
*habere attributa divinitatis atque imprimis omnipresenciam: secun-*  
*do dicunt, hypostaticam unionem consistere in ista communicatione.*  
*Si volunt, ista attributa conjungi essentialiter humanitati, sunt Euty-*  
*chiani, sin accidentaliter, sunt Nestoriani.* Mox etiam nescio quas  
 absurditates nobis imputant. Audiamus Joh. Sturmium in  
 Anti-Pappo. 4. part. 1. p. 25. *Defendi à nobis, ait, corpus Christi*  
*ubique esse, etiam in omnibus cantharis cerevisiariis, credo Saxonici:*  
*cur non in Cana Galilææ, in sex hydriis, primum cum aquâ plena es-*  
D
sent:

sent: deinde cum aqua in vinum conversa esset? Quæro ex istis  
ubi septima fuerit? cur septimam Christus apportari & impleri non  
jusserit? in ea viderent, an corpus Christi etiam in cantharis Tor-  
gensibus insit, nec ne. Quid turpius ista Theologia? Sed quid tur-  
pius isto Sturmio Sturmianisq; fociis, qui ita fœde absurdeq;  
mentiuntur! Cum nos in summa naturarum unione maxi-  
mam earum distinctionem agnoscamus, & per omnipræ-  
sentiam dicamus totum Christum adesse, non per ubiqvita-  
tem absolutam inesse omnibus creaturis.

§. 9. Ut vero appareat, quam ob causam de hac do-  
ctrina utrinque tanquam pro aris & focis pugnetur, non  
extra oleas vagabimur, si breviter repetamus ea, quæ Dn.  
Præses in Interesse Relig. Christ. art. 3. p. 173. seqq. hac de re com-  
mentatus fuit. Quod ergo nos omnipræsentiam carnis Christi tue-  
amur, id ideo facimus, ut non solum magnum quod est præsentia car-  
nis Christi solatium ad nos redundat (de quo Chemnit. de duabus na-  
turis in Christo c. XI. & XXX.) ne perdamus, sed etiam & imprimis,  
ut unionem personalem, prout eam Scriptura sacra describit Col. 2. 9.  
eo commodius defendamus, certiq; de omnipræsentia humane Christi  
nature, facilius credamus corpus & sanguinem Christi adesse in cœna.  
Impugnant vero eandem sententiam Pontificii, tum, ut negata præsen-  
tia Christi secundum carnem eo speciosius requirere possint caput  
visibile, tum ut nos accusare queant apostasia ab Augustana Confessio-  
ne. Cum enim communicationem omnipræsentia in ea expressissi-  
mis verbis non assertam esse videant, nos hodie ab ea defecisse dicunt.  
At Calviniani eam ob causam omnipræsentiam humane nature in  
Christo eunt inficias, ut ne cogantur in cœna realem corporis & san-  
guinis Christi præsentiam admittere. Apud utrosq; vero hic ipse  
error est commune quoddam interesse, quod reliquorum etiam idio-

II. Dis-  
sentien-  
tium in  
Ecclesia  
nostra.

matum communicationem ipsarumq; naturarum communionem ne-  
gant. Atq; hoc de Papistis & Calvinianis.

§. 10. In secunda classe reperimus illos, qui de omni-  
præsentia Christi non adeo recte sentire videntur. Quidam  
enim

enim in excessum inclinant, sentientes in statu etiam exinanitionis humanam Christi naturam revera exercuisse communicatam potestatem divinam, quanquam occulte. Quidam per defectum à nobis secedunt, negando in statu exaltationis humanam Christi naturam esse omnipræsentem. Illud Tubingenses faciunt, hoc Helmstadiens. & qui eos sequuntur.

§. II. Nota est controversia, quam *B. Menzer. t. 2. Opp. p. 1233. seqq.* descripsit, inter Theologos Augustanæ confessioni addictos, Giessenses & Tubingenses circa annum 1619. orta, mutuisque scriptis utrinque agitata, de hoc imprimis puncto: Quid sit proprie exinanitio, an vera & realis, voluntaria tamen plenarii ac incessantis exercitii *ἀυχημάτων* divinorum usque ad statum exaltationis durans abdicatio? vel, an fuerit duntaxat universalis dominii plenarie, quanquam latentiter exerciti occultatio? Posterius affirmabant Tubingenses, prius Giessenses, prout ex *Decisionis solida cap. 4. p. 66. 67. 68. 73. & seqq.* itemque ex *Prefat. Defens. necess. à B. Menzero anno 1624. edita & Feuerbornii κενωσις*. luculenter patet. Quælis cum quotidie radices altiores agere videretur, non absq; magna ecclesiæ offensione adversariorumq; *ἐπιχαρειαία*, commissa tandem fuit arbitrio Theologorum Saxoniae, ut pro sua dexteritate eam deciderent, quod etiam jussu Elect. Joh. Georgii I. anno hujus seculi 24. fecerunt modestissime, & illud asseruerunt, quod in F. C. comprehensum supra recitavimus. Consenserunt Giessenses; Tubingenses vero in decisione ista acquiescere renuentes Admonitionem ediderunt, cui facta Apologia iterum responderunt Saxonici ostenderuntq; , quod, quamdiu credatur, Christum in statu exinanitionis secundum carnem tantum occultasse gloriam suam coram hominibus, nec illam videri permisisse, nihil ominus tamē eam ipsam gloriam in universali regimine realiter & incessanter usurpasse, tamdiu, Christum quoad carnem plenario usu

communicatæ majestatis divinæ se evacuasse (quod est contra expressum Scripturæ effatum Phil. 2. 7.) tacite negetur. v. Apol. Saxon. sect. 3. c. 14. p. 686.

§. 12. Utut vero non adeo recte senserint Theologi illi, mitius tamen cum iisdem agendum esse, nec crimen apostasiæ à F. C. quod multi eis in hoc argumento imputaverunt, multo minus ab August. Conf. objiciendum arbitramur. Neque enim 1) evidenter satis distinctum in F. C. videtur inter gradus seu modos communicationis, quoad ejus actum primum & secundum. Audiamus B. Hülsemannum benigne satis de Tübingensibus judicantem in Prælect. in F. C. p. 333. *Quandoquidem, inquit, communis (omnium Nostratum) doctrina fuit, idiomatum communicationem cœpisse cum ipsa unione personali in primo conceptionis momento, F. C. in decl. Art. de Pers. Christi, p. 764. nec ubiq; videtur satis evidenter distinctum inter gradus s. modos communicationis, quoad ejus actum primum & secundum: Hinc Domini Tubingenses occasionem cœperunt negandi, quod humane Christi natura post exaltationem quicquam realiter, si- ve quoad rem fuerit collatum, quod à primo momento conceptionis & unionis cum divina natura non accepisset; asserentes contra, notorietatem tantum si- ve evidentiorem apparitionem majestatis in puncto conceptionis realiter jam communicatæ accessisse per exaltationem, adeoq; exinanitionis statum non fuisse carentiam rei ipsius si- ve majestatis, sed occultationem & dissimulationem tantum. Multo minus vero defecerunt ab A. C. cum nostra quidem sententia plusquam certo in ea contineatur, Tubingensium vero non satis evidenter rejiciatur. Accedit 2) quod tandem cœperint remittere ac concedere, quoad officium sacerdotale, Christum se revera evacuasse majestate divina, adeoque quoad statum oppositum passioni realiter & vere accepisse majestatem antea non habitam: Verum quoad officium Propheticum & regium exinanitionem docebant esse solam occultationem; & vicissim exaltationem quoad hæc duo officia*

*ficia consistere in sola revelatione, non collatione majestatis reali; B. Hülsemann, ibidem pag. 334. Quæ cum refert Honoratiff. Dn. Praeses in Augustan. Confess. cap. 6. thes. 2. Dub. 1. pag. 188. addit 3.) hanc litem ab anno 1625. quo Saxonici suam ediderunt Apologiam, quasi sopitam quievisse, ut nullas inde turbas, juvante pacis Principe Christo Jesu, in Ecclesia ulterius metuamus.*

§. 13. In Defectu peccant Helmstadienses. Quamquam vero Theologi illi adeò rigide doctrinæ nostræ in Form. Conc. traditæ adhæserint olim, ut non contenti antitheses poni in Form. Concord. sed nomina quoque autorum exprimi voluerint, *vid. Hutter. Concord. Conc. fol. 249. 286. 287. seqq.* & satis clara atque perspicua sit confessio *D. Tilem. Heshusii Conc. 6. de agnitione Dei: Ex summa hac & ineffabili gloria corporis Christi ad dextram DEI sedentis, haud male concluditur, Christo non modo facile & possibile esse verum suum & substantiale corpus ac sanguinem in sacra cœna exhibere; Sed etiam ut secundum humanitatem suam, quippe cui nihil est impossibile, ubique esse possit, imo omnibus creaturis præsens adsit & omnes creaturas sibi præsentes habeat, omnia præsens intueatur, audiat, regat, faciat, ordinet & operetur: Nihilominus tamen progressu temporis animum suum mutarunt, aliterque sentire cœperunt, negantes Humanam Christi Naturam in statu exaltationis esse omnipræsensem; idque ex ea imprimis ratione, quia omnipræsentiæ divinæ fundamentum in absoluta immensitate ponendum sit, quod uti falsissimum, quoniam Deus non per immensitatem sed per voluntatem creaturis præsens est, vide B. Hülsemann. Breviar. enucl. pag. 420. ita eadem operâ etiam multipræsentiâ, quam vocant & admittunt ipsi, deneganda foret. vide B. Hülsemann. Gewissens-Wurm p. 214. Calov. Harmon. Calixt. fol. 9. seqq.*

§. 14. Qui error Helmstadiensium, licet tantus non sit,

D 3

fit,

f. I. § 4. 5



fit, quantus Calvinianorum in hac parte, (quoniam et si fateri non velint, Humanam Christi Naturam hodie esse omnipræsentem, præsentem tamen in sacra cœna esse nequaquam inficiantur, cum Calviniani contra omnem Humanæ Christi naturæ apud nos præsentiam sublatam eradicatamq; cupiant;) neque tamen est levissimus. Nam cum articuli fidei alii sint fundamentalissimi, qui fidei definitionem ingrediuntur; alii fundamentales, qui ante fidem præsupponuntur; alii circumfundamentales, qui consequuntur fidem; hic articulus de omnipræsentia carnis Christi ad tertium genus referendus est, & de jure non potest negari, cum res, quæ ad secundum & maxime ad primum genus pertinent, ab omnibus sciri debeant ac credi; *vid. B. Kromayer. Theol. Posit. Polem. Proœm.* Quod si tamen aliquid subsidii, ceu putant, ad excusandum dissensum suum petere possunt ex eo, quod hoc dogma in Augustana Confessione expressis verbis non proponatur, ad Formulam vero Concordiæ, tanquam librum Symbolicum particularem, nec possimus nec velimus Ecclesias omnes obligare, id beneficii haud invidemus ipsis. Ad emolliendam certe culpam ipsorum facit, quod partem illam de communicatione idiomatum non in dubium vocent, quando articulus fundamentalis ab ea, sed modus tantum præsentia Christi (qui ad circumfundamentales referendus est) dependet, ut nuper monuit *Laudatus Dn. Præses in August. Confess. cap. 6. th. 2. Dub. 1. pag. 190.*

§. 15. Sed manum de tabulâ. Sufficiat in Specimine Academico sic breviter & quasi in Schemate proposuisse statum Articuli hujus, quem nunc in Ecclesia obtinet, & prout nunc de eo sentitur & disputatur. Qui quidem ab adversariis plurimis, variis, studiisque diversis & conamine multo oppugnatur, idque ex eo audacius & speciosius, quod è sum-



summis Myſterium hic ipſe tradat. Verum & contra gau-  
det idem ille ex gratiâ DEI patrociniſ præſtantiffimorum  
Virorum, ingenii nobilitate, eruditionis excellentiâ, quin  
ſingulari DEI illuminatione clariffimorum; qui cœleſtem  
hanc veritatem contra quosvis adverſarios validis adeo &  
continuis propugnaculis omni ex parte præmuniverunt;  
ut nullam deturbationem vel ruinam ullo tempore metua-  
mus; nos pace hac fruimur & quiete; ipſorumque labo-  
rem grato (ut decet) animo agnoſcimus. Fuſius vero hæc  
tractaſſe, quia nimium excreſceret materia, non foret ſcopo  
noſtro reſpondens. Præcipue autem virium noſtrarum ra-  
tio habenda fuit, quæ, quia tenues, brevitatem hanc no-  
ſtram iis parem boni L. B. conſule. Plura & hæc ipſa quoad  
Theſin vel Antitheſin latius diducta, qui deſiderat, videat  
allegatos Autores alioſque paſſim. Imprimis autem evol-  
vantur è Noſtris *Apol. Form. Concord. Theolog. Saxon. Decif. cap. 1.*  
*& II. Apol. contra Tubing. Sect. II. cap. 10. & II. Sect. IV. cap. 1. 2. 3.*  
*& eorundem Haupt = Bertheidigung. Chemnitius Lib. de duabus*  
*Nat. cap. XXX. & XXXI. Hutterus in Artic. VIII. Aug. Conf. & in*  
*Concord. Conc. contra Hoſpinian. cap. I. & XLVIII. Hunnius in lib.*  
*de ſtat. majeſt. cap. XI. pag. 260. & in ſententia Lutheri huic libro*  
*ſubjuncta fol. 281. ſeqq. Menzerus Diſp. XV. Tom. 5. & in Anti-Mar-*  
*tin. & Martin. Elench. in reſponſ. ad deſenſ. ad Collat. Aug. Confefſ.*  
*Diſput. II. in neceſſaria deſenſ. contra Tubing. per totum. Feurborn.*  
*Tom. V. Marburg. Diſputat. 23. 24. 25. 26. 27. in Faſcic. in Sciagraph.*  
*Theol. Diſſert. 6. 7. & 8. & in νεωστυρα. Sect. I. tota & Sect. VII.*  
*Affelmann. Invid. Aſſert. Doctr. de carnis Chriſti omnipreſ. & A-*  
*polog. pro aſſert. Schræder. in Sceptro regal. Chriſti Libr. IV. V. VI.*  
*Meiſnerus Diſp. XX. & XXI. Chriſtol. pag. 275. ſeqq. Gerhardus l. de*  
*Chriſto §. 260. p. 1448. Calov. in Exam. Doctr. de Chriſto Con-*  
*trov. 9. quorum omnium ſummaria repetitio extat in Theolog. Poſit.*  
*Balduin. Artic. L. Imo videantur adhuc & alii ipſiq; adverſarii.*

Ad

ΠΡΟΣΦΩΝΗΜΑΤΑ

*Ad Nobiliss. Eruditissimumq; Dn. Respondentem.*

**D**E quâ differeres, placuit præsentia Christi:  
Quam bene! namq; comes sic Tibi Christus erit.  
Ille tuus frater cathedram conscendere Tecum  
Haud renuet, totum et sic benè cedit opus.  
Præsentem Tu perge Deumq; Hominemq; vereri;  
Semperq; humano corde erit ille Tuus.

*Gratulabundus f.*

D. Val. Alberti, Præses.

**E**NTER, PRÆSETER, DEUS HIC ET UBIQUE  
POTENTER:

Ardua Theologum vox fuit, est & erit.  
Hanc animo quæris, calamo teris, ore tueris,  
Inq; suo præsens corpore Christus ovat.  
Hoc vinctes victore hostes. Hoc milite miles  
Scriberis. Hoc duce Tu dux eris ipse facer.  
En cathedrâ Tecum præstò est! Præsentia dictis  
Dat robur. Solidam dat Caro firma fidem.  
Hâc repetas præsentem lares, Batavosq; salutes!  
Sic OMNIPRÆSENS qui fuit, est & erit.


*Hæc HONORATISSIMO DOCTISSIMOQUE AF-  
FINI SMO, labores Accademicos illustri  
Dissertationis fastigio coronanti*

*invita Minerva apposuit*

Johannes Benedictus Sillig, Misen.  
SS. Theol. Cult.









DISSERTATIO THEOLOGICA  
*De*  
**OMNIPRÆSENTIA**  
**NATURÆ HUMANÆ**  
**JESU CHRISTI,**

*Quam*  
præsentissimâ ejus gratiâ

*Et*  
*Indultu summè Reverendæ Facultatis Theologicæ*

SUB PRÆSIDIO  
Viri Maximè Reverendi, Amplissimi atqve  
Excellentissimi

**DN. D. VAL. ALBERTI, P.P.**  
Consistorii Electoralis & Ducalis, nec non  
Facultatis Theologicæ Assessoris gravissimi, Academiae  
Decemviri, Alumnorum Electoralium Ephori, Colle-  
gii B. Mariæ Virginis Collegiati, & Polonicæ  
Nationis Senioris,

*Domini Patroni, ac studiorum suorum Promotoris omni*  
*observantiâ & cultu devenerandi,*

In Auditorio Theologorum Paulino  
publicè ventilandam proponit

*Autor & Respondens*

**JOHANNES LEOPOLD, Amstelodamo-Bat.**

Anno M DC XCI. d. 2. Maji.

---

LIPSIÆ, Literis JOHANN. GEORG.